
Decretum. Ordinariatus pro christifidelibus orientalibus in Hispania degentibus instituitur (9 Iunni 2016)

PROT. N. 70/2010
ALLEGATO N° AL FOGLIO PROT. N°
(CONGREGATIO CHIESE ORIENTALI)

CONGREGATIO PRO ECCLESIIS ORIENTALIBUS

Nobilis Hispaniae Natio, spiritu christiano acta, hospitale semper se praebuit erga omnes, qui, decursu temporum, ob varias vicissitudines, propriis regionibus relictis, novam sedem residentiae et operis quaerebant. Sic evenit ut, praesenti tempore, fidelium rituum orientalium non exiguis numerus in Hispania degat, cum animo ibi perpetuo manendi, quorum curae spirituali singuli locorum Ordinarii quam laudabiliter consulunt.

Ad maiorem unitatem regiminis assequendam, re mature perpensa, huic Congregationi pro Ecclesiis Orientalibus peropportunum visum est unicus Ordinariatus pro omnibus fidelibus rituum orientalium in Hispania degentibus erectionem proponere, a proprio Ordinario gubernandi, cum facultatis iure statutis.

Qua de causa, in Audientia diei 4 mensis Aprilis currentis anni, referente Em.mo Leonardo . Card. Sandri, huius Congregationis Praefecto, Santi-
tissimus Dominus Noster FRANCISCUS, Divina Providentia PP., unicum
Ordinariatum pro omnibus fidelibus rituum orientalium in Hispania com-
morantibus constituere et erigere dignatus est, a proprio Ordinario mode-
randum.

Ad hoc Ordinarii munus, Eadem Sanctitas Sua Exc.mum P.D. Carolum
Osoro Sierra, Archiepiscopum Matritensem, deputavit, facultate ipsi facta
unum vel plures Vicarios Generales nominandi, praesertim pro fidelibus
Ucrainis et Romenis.

DECRETUM

Potestas iurisdictionis Ordinarii in praedictos fideles rituum orientalium exercenda erit cumulative cum potestate Ordinariorum locorum, qui tamen Ordinarii secundario tantum, iure proprio, agant, et Ordinarium horum fidelium de rebus maioris momenti, quae egerint, certiorem reddant.

Hic Ordinarius sedulo curabit, auditio Ordinario loci, paroecias constituiere, ecclesias aedificare, iuvenes in sortem Domini vocatos in Seminariis colligere et educare, genuinos ritus ac disciplinam integre servare, sacerdotes fidelibus procurare, opera quaecumque ecclesiastica, socialia, scholastica fovere et cetera omnia quae agenda prudenter in Domino iudicaverit.

In locis ubi defuerit paroecia pro fidelibus ritus orientalis, parochus loci latini ritus bono spirituali illorum fidelium ipse provideat, facultatibus aut ab Ordinario fidelium ritus orientalis aut ab Ordinario loci obtentis.

Ordinarius, de quo supra, quinto quoque anno relationem de statu Ordinariatus ad hanc Congregationem mittendam curabit.

Praesens Decretum a die 9 mensis Septembris a. 2016 exsecutionem suscipere incipiet.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus, die 9 Iunii 2016

Leonardus CARD. SANDRI, *Praefectus*

+ Cyrilus VASIL, S.I.
Archiepiscopus a secretis